

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 137

DECANDRIA PENTAGYNIA.

35

*Sedum echinatum flore luteo*, Bauh. Hist. v. 3. p. 2. 680. Column. loc. cit. fig. minore, distincta species videtur, foliis angustioribus, integerrimis, caule indiviso, et floribus luteis.

a. Calyx cum staminibus.

b. Petalum.

c. Pistilla.

TABULA 447.

SEDUM CEPÆA.

SEDUM foliis alternis oblongis canaliculatis obtusis, caule ramoso, floribus paniculatis, petalis acuminatis.

S. Cepæa. Linn. Sp. Pl. 617. Willden. Sp. Pl. v. 2. 763. Ait. Hort. Kew. ed. 2. v. 3. 113.

S. n. 958. Hall. Hist. v. 1. 413.

S. Cepæa dictum. Tourn. Inst. 263.

Cepæa. Bauh. Pin. 288. Matth. Valgr. v. 2. 283. Camer. Epit. 673. Ger. Em. 621.

Lob. Ic. v. 1. 393.

C. Matthioli. Clus. Hist. v. 2. 68.

Κηραία. Diosc. lib. 3. cap. 168.

Κρημίων hodiè.

In Græciæ agris vel ruderatis. ☉.

*Radix* fibrosa, annua. *Herba* undique pallidè virens, rubro punctata, mollitè pubescens, succo plena. *Caules* plures, diffusi, pedales, teretes, alternatim ramosi, foliosi, paniculati, multiflori. *Folia* alterna, sessilia, lineari-oblonga, obtusa, integerrima, ultra uncialia; suprà canaliculata; subtùs convexa. *Paniculae* axillares, solitariae vel binatae, simplices vel ramosae, racemosae, laxae, multiflorae; inferiores majores, foliosae. *Pedunculi* divaricati, unguiculares, uniflori, ebracteati. *Flores* copiosi, erectiusculi. *Calyx* quinquepartitus; laciniis ellipticis, obtusis, carnosis, coloratis, pubescentibus. *Petala* lanceolata, mucronata, patentia, calyce triplò longiora, alba, carinà rubrà. *Stamina* petalis breviora, filiformia, *antheris* subrotundis, didymis, rubicundis. *Germina* quinque, aggregata, ovata, glabra, alba, carinis rubris; *stylis* patulis; *stigmatibus* acutis. *Capsulae* oblongae, compressae, retusae, *stylis* persistentibus mucronatae. *Semina* plurima, horizontalia.

A. Flos auctus.

B. Calyx cum pistillis.